

sensit et ad sonitum vocis vestigia torsit.  
 verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas      670  
 nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,  
 clamorem inmensum tollit, quo pontus et omnes  
 intremuere undae penitusque exterrita tellus  
 Italiae curvisque inmugiit Aetna cavernis.  
 at genus e silvis Cyclopum et montibus altis      675  
 excitum ruit ad portus et litora complent.  
 cernimus adstantis neququam lumine torvo  
 Aetnaeos fratres, caelo capita alta ferentis,  
 concilium horrendum: quales cum vertice celo  
 aëriae quercus aut coniferae cyparissi      680  
 constiterunt, silva alta Iovis lucusve Diana.  
 praecipites metus acer agit quocumque rudentis  
 excutere et ventis intendere vela secundis.  
 contra iussa monent Heleni Scyllam atque Charybdin  
 inter utramque viam leti discrimine parvo,      685  
 ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.  
 ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori  
 missus adest. vivo praetervehor ostia saxo  
 Pantagyae Megarosque sinus Thapsumque iacentem.  
 talia monstrabat relegens errata retrorsus      690  
 litora Achaemenides, comes infelicis Ulix.  
 Sicanio praetenta sinu iacet insula contra  
 Plemyrium undosum, nomen dixerit priores  
 Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem      695  
 occultas egisse vias subter mare, qui nunc  
 ore Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.  
 iussi numina magna loci veneramur, et inde  
 exsupero praepingue solum stagnantis Helori.  
 hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni  
 radimus, et fatis numquam concessa moveri      700  
 adparet Camerina procul campique Geloi  
 inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.  
 arduos inde Agragas ostentat maxima longe  
 moenia, magnanimum quondam generator equorum  
 teque datis linquo ventis palmosa Selinus      705